



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 159. Philippi Mediolanensium Ducis obitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

filio, atque auctoritate Alphonsi, Ducis secul. XV.  
A. C. 1447.  
Mediolanensis, Venetorum, Florentino-  
rumque Legati, qui Ferrariæ hærebant,  
ad mutuæ pacis studia impellerentur.  
Hi postquam de jure suo utrinque diu  
multumque contendissent, tandem cer-  
tas pacis condiciones proponere decerne-  
bant, forte Mediolanensium Duci haud  
adeo gratas, sed tamen ob infelicem sta-  
tum, in quem Venetorum armis reda-  
ctus erat, minime aspernandas. Cum  
vero Tabellarius ea de re literas Duci af-  
ferret, ipsum repentino morbo oppressum  
reperit: unde Veneti concordiam respu-  
ere cœperunt.

## §. CLIX.

*Philippi Ducis Mediolanensis Obitus.*

Præfati Ducis nomen erat Philippus Antonin. tit.  
22. c. 11. §. 17  
Maria Visconti, seu Vicecomes, po-  
stremus eorum, qui supremum Medio-  
lani imperium ex hac Domo gerebant,  
postquam Vicecomitum familia plusquam  
centum, & septuaginta annos præfuisset.  
Mortuus est die tertia decima Augusti  
annos natus quinquaginta septem, cujus  
obitum referens S. Antoninus non adeo  
honorificam de eo mentionem fecit, haud  
dubie in eum commotus ex odio illius  
erga Florentinos, necnon ex turbis,  
quas in Italia continuo accenderat. *Eo*

**Sæcul. XV.** *tempore, inquit S. Antoninus, diem clausit extremum serpens ille antiquus, non dierum, sed astutiarum, ex ventris profluvio, & sicut in vita sua nec Deum timens, nec homines verens fuit, ita & in morte sine Sacramentis decedens, quinimo cum & Medicus ejus hortaretur eum ad confessionem, illi mandari fecit, ut amplius non visitaret eum.*

**Æn. Sylv.**  
**de Europ.**  
**cap. 40.**

*Æneas Sylvius Virum depingit: deformi facie ac terribili, instabilibus ac prægrandibus oculis, ingenio peracri, & callido, in audiendo primum difficilem, ast ubi in colloquium venisset, mitem ac placidum, in parcendo facilem, in largiendo profusum, cultus corporis, omnisque lenocinii negligentem, venandi cupidum, equorum studiosum: ceterum quietis impatientem, in pace bellum, & in bello pacem quærentem, egregiam dissimulandi artificem, in milites quam in cives indulgentiorem; delatoribus credulum, in suspiciones adeo pronum, ut sæpe fidissimos a se amicos levissimis de causis alienaret: sermonem de morte audisse invitum, & ad tonitrua ac fulmina mire pavidum. Ei, cum vita decessisset, nec funus tanto Principe dignum ductum esse, nec sepulchri decus additum.*

§. CLX.

*De Mediolanensi Ducatu contendentes.*

**Philippo e vivis erepto complures quidem ad Mediolanensem Principatum aspi-**